

De Carcino Pompeiano.

In aedibus Cuspia (strada dei Diadumeni) in parietibus inscriptus est tam latina quam graeca scriptura graeque vel iterari coeptus versiculus, quem ediderunt Kekulé (Bull. 1867, 164), Zangemeister (CIL IV 2400 ab), Kaibel in epigrammatum lapidariorum collectione No. 1124 (deesse titulum miror in eiusdem viri doctissimi Inscr. Graec. Italiae et Siciliae):

Ἦδη μοι Διὸς ἄρ' ἀπάτα παρά σοι, Διομήδη.

Carcinus hic est retrogradus, ex illo genere, qui sunt στίχοι κατ' ἀναποδισμόν. Legitur idem versus in Planudeis (Anth. Pal. II p. 608 Duebn.), laeso ille quidem metro, sed salva ratione retrograda, sic:

Ἦδη μοι Διὸς ἄρα πηγῆ παρά σοι, Διομήδη.

Varietatem lectionis ita explico, ut priorem corruptelae gradum fuisse censeam hunc:

Ἦδη μοι Διὸς ἄρα πάγα παρά σοι, Διομήδη.

Nam et ordinem videbatur servare πᾶγᾶ (= πᾶγη sive πᾶγίς) et praebat sensum haud ita multum ab ἀπάτα diversum. Deinde aliquis illud πᾶγᾶ perperam interpretatus tamquam πᾶγά induxit πηγῆ litterarum ordinem retinens et ipse, sensum numerosque disturbans funditus.

Iam ut titulo Pompeiano lux adfertur versui Planudeo, ita ex Planude discimus verba illa, quae animi causa sibi depingebat

tituli auctor, ab hoc non inventa esse, sed, ut saepe fit in his parietibus, subesse aliquid notum, usu tritum, decantatum. Cuius tamen sensus, ut Duebneri Sanctum Diomedem missum faciam, ne a Kaibelio quidem satis perspicitur, cum dicit: *Sententiae si quid inest verbis, grammaticus mihi videtur Iliadis librum* € (Διομήδους ἀριστείαν) *et* Ξ (Διὸς ἀπάτην) *continuos se legisse vel didicisse profiteri.* In quibus de Iove decepto recte observavit vir doctus, de Diomedis virtute non idem. Loquitur enim poeta non de heroe *Diomede*, sed de *Diomeda* quadam ni fallor muliercula libertina. Verba habes non grammatici, sed cuiusvis amantis a puella sua Diomeda eodem modo decepti, quo Iovem apud Homerum decepit Iuno.